QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VI. MAII D. STEPHANO DV FOVR REGIS MEDICO DISCEPTATORE CLARISSIMO.

An Acutis diæta tenuis?

VT frigida, crassa, lentáque materia, obstructio, meatuum angustia, perennis morbificæ causæ generatio, caloris & facultatis imbecillitas variam multiplicemque morborum diuturnorum segetem producit, propria post coctionem purgatione, diæta pleniore, nonnunquam etiam sanguinis missione radicitus euellēdam: Sic acuti plurimi à feruidis, acribus, tenuibus, & malignis succis: Nonnulli breuitate atque periculo licet sine febre conspiciantur, ab humore frigido obstruente multitudine, æquè acuti procreantur: hi, Apoplexia, Catochus, Carus: Illi, causus vterque biliosus atque pituitosus, cæteræque febres continuæ, vel cum his quotquot sunt coniunctæ partium internarum inflammationes: Quarum (vt & ferè reliquorum acutorum) & si præsentissimum remedium iudicetur statim initio suscepta sanguinis missio, & post hanc idonea præscripta purgatio: In hisce tamen duobus magnis auxiliis non omnis curationis ratio, sed bona pars in diæta tenui consistit.

IN sanis & ægris diuersus cibandi scopus, eadem proportio, sanorum vires augere, in morbis longis retinere, in acutis modicè quidem imminutas conseruare intendit diæteticus, illa pleno atque moderato, hoc postremum tenui victu consequitur: in quo ne quid peccet, vires ægrotantis cum die criseos imprimis comparandæ, si hæc intra primum ternarium futura est, validaque natura existit, cum inedia patiente expectetur, si primum septenarium non est superatura, melicrato aut quouis alio victu tenuissimo, sin metus sit de viribus ægri, ne (quod sæpius accidit) non sufficiant, ptisanæ succo, hordei cremore, aut alio simili victu tenui paululum recreentur.

IN morbis illis hordeacea ptisana frumentaceis omnibus condimentis anteponenda, à qua ad carnes tenues, ius gallinæ aut pulli, ad oua sorbilia, pisces saxatiles, & similia merito ætatis nostræ diætetici deflectunt: vinum ad celerem virium reparationem (quam vlla vix alia quantumuis medicata potio æque præstare potest) etiam in acutis maximè consuetis vti mero, concedendum: huius loco medicatæ aquæ, herbarum & radicum cōuenientium decocta, ad sputi eductionem, copiosam mictionem, alui deiectionem, alimenti distributionem, tutius vsurpantur. Aqua verò vt in principiis febrium acutarum à putredine, prohibenda, sic apparentibus coctionis notis, & inclinante morbo, vltro concedenda: in pleuritidis & peripneumoniæ principio, mulsa vel oxymel magis conueniet.

DIÆTA ista tenuis iusta quantitate & tempore præscripta, morbos acutos magis oppugnabit, si sit illis quoque qualitate contraria, ita tamen vt in illa instituenda, ætatis, consuetudinis, proprij temperamenti, anni temporis, regionis, & similium ratio perpetuo habeatur. Quæ omnia si cum varia humorum affectione, copia nimirum vel inopia, corruptione, symmetria, cum validis vel infirmis ægri viribus exactè comparentur, quibus semel, bis, aut sæpius, & plus, minúsue, & gradatim cibum præbere conueniat, indicabunt: Cibum tenuem, humidum, coctu facilem, boniquе succi febrientibus omnibus, maximè vero pueris cæterisque qui tali consueuere vti, per æstatem sæpius, sed minore copia, per hyemē cōtrà maiore, sed non ita sæpe offerendū significabūt.

ILLIVS autem exhibendi præceps arripietur occasio inclinante ac desinente morborum acutorum exacerbatione: nec cùm adest vigétque, aut iam iam adfutura est, cibi quidquam exhibendum ægris, sed vacuo ventriculo expectandus paroxysmus, in quo, nisi fortasse picrocholis, cibi quicquam offerendum, aut forte virium imbecillitas (quæ sæpius in morbis illis cacoethiam humoris, doloris acerbitatem, facultatis à multitudine humorum oppressionem, & vasorum inanitionem sequitur) aliquo eóque tenui cibo obiter refocillari postulet, adeo vt in adiectione ciborum quàm in subtractione minus occupetur in tantum vt sufficere possit æger donec morbus maturescat, vt mox per alexipharmaca, per anodyna, per euacuationem, per idoneam propriamque analepsin percuretur: reliquis porrò totius acuti morbi temporibus cibus tutius exhibetur principio quidem & declinatione vberior, longe tenuior incremento.

IGITVR ACVTIS DIÆTA TENVIS.

Proponebat ADRIANVS BRAYER Castrothierricus Lutetiæ Anno salutis 1599.

